

nis profusione, addantur lupini, ciceres rubri, absynthium, centaurium & similia amara, in æquis partibus aquæ & vini, vel hydromelite decoctis.

At ulcere purulento & foetido non nihil Ægyptiaci cum melle rosat. dissoluatur. Si tumor adfit, fiunt ex mollientibus & laxantibus, iusculo pingui carniū incoctis, in quo butyrum, adipēs, axungia, medullæ conuenientes, oleum nardinum, styrax, opopanax, bdellium dissoluendum. Nonnunquam ad sterilitatem tollendam, quæ à laxiore vteri orificio causatur, semen virile intromissum non retinente, ex adstringentibus, vt decocto rad. bistortæ, corticis mali granati, menthæ siccæ, nucum cupressi, balaustior. galla, decoctis in vino adstringente, additis syrupis vel succis adstringentibus, vt plantag. (sunt & qui aluminis aliquid nonnunquam addant) iniectiones fiunt. Sic denique iniectiones ad vlcera, quæ in sinu pudoris fiunt, similes esse debent iniectionibus, quæ in vesicæ vlceribus vsurpantur.

De Syrupis.

CAP. XVIII.

Syrupus à recentioribus Græcis, vt Actuarius a *σέρπιον*; ab Arabicis Sechaniabin dicitur: licet Nicolaus Myreps. syrupos *δρόσηρα* nominarit, de quibus integram sectionem scripsit. Volunt aliqui, syrupos dictos, vel quasi *οἱ ἀπὸ τῆς σαρίας ὄποι*, quod ex Syria primo delati credantur, vel *ὡς σαρῶντες ὄποι*, quanquam pauci trahendi vi præditi fuerint. Est autem syrupus *medicamentum liquida consistens*.